Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1889

Quelle:
Copyright:

ſcribit) ſplendorem, ad *Mathiae* ſui, cujus amabilem efformat ſpeciem, laudes delabitur Vir doctus et diſertus, ſubſcribitque: *Viennæ Kalendis Januarijs, Anno a Natiuitate Domini M.D.XCII.* qua die ipſum Exemplar noſtrum Strenam Archiduci obtuliſſe videtur. *Exercitatio*, quam lucem nunquam adſpexiſſe miror, ab hoc initio: *Non temere illud quidam: Omnes homines ſuo quodam agi naturæ appetitu* &c. usque ad hunc finem: *tibi angulari templi Dei lapidi firmiter adhæream, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus. Amen.* absque ulla diviſione decurrit. Edidit Noſter collectum e latinis fontibus Catalogum Eorum, qui ſui Ordinis ſanguinem pro Eccleſia Romana in Europa fudere, ſermone patrio *Ingolſtadii* 1584. 4. ex iisdem item fontibus Res Religionis Chriſtianae in utraque India pariter ſermone germanico *ibid.* 1588. 8. fruſtra tamen in Eruditorum *Lexicis* eum quaeras. Obiit *Valliſoleto* e Comitiis Ordinis redux *Papiae* 1593. una cum itineris Socio *Dominico Heſſio* facillimae venae Poeta, cujus multa Carmina *Viennae* et *Graecii* olim impreſſa adhuc in manibus Curioſorum ſunt. De utroque adi, ſi lubet, *Placidi Herzog Coſmographiam Auſtriaco Franciſcanam, Colon.* 1740. f.

CCCCLXXXI.

275 Codex chartaceus lat. ſub finem Seculi exacti ſcriptus Folior. 69. f. continet *Epiſtolas* IV. in Religionis negotio ad *Ferdinandum* Archiducem *Auſtriae*, poſtea Imperatorem hujus nominis II. datas a *Georgio Stobaeo de Palmaburgo Boruſſo*, ejus Principis intimo conſiliorum adminiſtro et *Lavantino* in *Carinthia* Epiſcopo, qui 23. Octobris diem anni 1618. ſupremam habuit. De hujus viri in repurganda per interiorem *Auſtriam* Eccleſia ſtudiis adi *Marci Hanſizii Germ. Sacrae* T. II. Epiſtolarum ejus Συλλογην *Venetiis* 1749. 4. dedit *Hier. Lombardus* S. J. in qua tamen non niſi *unam* ex IV. praeſentibus legas. Sunt vero ſequentes: *De auſpicanda reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola.* Initium: *Non poſſum, Sereniſſime Archidux, quin illud Sapientis inclamem* &c. Subſcripta eſt: *Lavanti 13 Calend. Septemb. Anno 1598.* et habetur *Hanſizii cit.* p. 713. Altera inſcribitur: *De proſequenda reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola*, et incipit: *Rara eſt tua in Deum Deique religionem pietas* &c. Caret haec in *Cod.* noſtro et in *Lombardi Collectione* p. 85. die et conſule, ſed apud *Hanſiz.* p. 742. data eſt *31. Julii. An. 1605.* Tertiae titulus eſt: *De peracta reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola*, et initium: *Quod non ita pridem Judenburgo tuis ad me litteris inſinuaras* &c. Ad calcem: *Palmaburgo Calend. Maij. M.DC.IIII.* Ita et apud *Hanſiz.* p. 708. ſed vereor, ne

aut